

quam ecclesiastico datur jurisdictio: adulterium autem utpote injuriam inferens sacramento sacrilegium est, et dicitur, l. *Quamvis*, 30, in fine, C. ad Leg. Jul. de Adulter.

§ II.

DE STUPRO.

43. *Stuprum aliud est improprie.* — Quæritur I. Quid, et quotuplex sit stuprum? Ante responsionem notandum, stuprum late et improprie sumptum, esse et dici omnem illicitam copulam, seu concubitus, sive cum masculo, sive cum femina, sive cum virgine, sive cum vidua, sive cum soluta, sive conjugata, l. *Stuprum*, ff. Ad. Leg. Jul. de Adult. l. *Stuprum*, 101, prin. ff. de Verb. sign. Item lex. 4. Institut. de public. judic. Verum in hoc sensu non agimus hic de stupro, sed de illo proprie tali. Hinc:

44. *Aliud proprie tale.* — Resp. I. Stuprum proprie et stricte acceptum, est virginis nondum corruptæ illicita defloratio seu corruptio. Ita in re communis arg. can. *Lex illa*, 2, § Cum ergo, cau. 36, q. 1.

45. *Aliud violentum, aliud voluntarium.* — Resp. II. Stuprum proprium acceptum aliud est violentum, aliud non violentum. Illud est, quo virgo invita per vim opprimitur et defloratur; quod propriissime stuprum est. Illud vero est, quo virgo volens, aut consentiens illicite defloratur; idque dupliciter, ita ut vel plene libere ad illud consentiat, vel per dolum et fraudem, aut metum injuste incussum ad illud inducatur.

46. *Stuprum violentum, sicut e dolo, aut metu injusto obtentum, etiam justitiæ adversatur.* — Stuprum violentum, sicut et illud, quod per dolum et fraudem, vel metum injuste incussum, illatum est, præter malitiam castitati contrariam, continet etiam malitiam injustitiæ, in confessione specialiter exprimendam. Illud vero, quod virgini sine dolo et fraude, aut injusto metu, libere consentienti infertur, soli castitati, non idem justitiæ adversatur, adeoque unicum tantum simplex peccatum continet, prout cum Lessio, lib. II, de I, et I, cap. x, dub. 1. Sanchez, lib. VII, de Matrim., disp. 14, a n. 5, communiter tenent, et deducunt theologi, apud quos vide.

47. *Pœna stupri non violenti.* — Quæritur II. Quas pœnas tam de jure civili, quam canonico inducat stuprum? Resp. I. Si quis vilio-

ris conditionis existens, stuprum sine vi committit, fustigatione una cum relegatione; stuprator vero melioris conditionis existens publicatione dimidiæ partis honorum punitur, § *Item lex*, 4, §. *Pœnam*, Institut. de public. judic.

48. *Pœna stupri violenti.* — Stuprum autem violentum non tantum virginis, sed etiam honestæ viduæ, aut maritatæ, pœna capitis plectitur Clarus, § *Stuprum*, n. 3, ad finem. Farinacius, *Prax. criminal.*, q. 147, n. 6. Glossa, in c. 2, h. t., §. *Plectendus*, et ibi Abbas, n. 5, l. 1, fin. ff. de Extraordi. crimin. et constitut. criminal. Caroli V, art. 119, ubi stuprator violentus pœnæ capitis subicitur, si stuprata fuerit ein unverleimböte Ehe Frau, Wittib, oder Jungfrau, id est, bonæ famæ conjugata, vel vidua, vel virgo.

49. Ex quo nonnulli inferunt, pœnæ mortis non subjacere, qui meretricem opprimit.

50. *Vi stuprata nec pœnam, nec maculam contrahit.* — Porro per vim stuprum passa nec pœnam, nec ullam infamiæ maculam incurrit, l. *Si uxor*, 13, § *Si quis*, 7, ff. Ad Leg. Jul. de Adult. et l. *Fœdissimam*, 20, C. eod.

51. *Pœna stupri jure canonico determinata. Remissive.* — Resp. II. De jure canonico pœna stupratoris laici est, quod debeat dotare, vel ducere stupratam, et alimentare prolem inde secutam: ubi tamen differentia est de stupratore cum et sine promissione matrimonii, prout de hac stupratoris pœna jure canonico statuta late diximus lib. IV, tit. I, § IV, a n. 70, ubi vide, ne fiat superflua repetitio.

52. *Pœna clerici stuprum committentis.* — Resp. III. Clericus stuprator præter dotationem, c. 1 et 2, h. t., debitam, jubetur deponi, Clarus, §. *Adulterium*, n. 3. Abbas, in c. 1, h. t., n. 4, et in c. *Ac si clerici*, 4, de Judic., num. 35. Farinac., *Prax. criminal.*, q. 147, n. 62. Pirhing, h. t., n. 43, et teste Claro communis omnium, arg. can. *Presbyter, aut Diaconus*, 12, et can. *Si quis episcopus*, 13, dist. 81, cum Concordantiis. Menochius tamen, de Arbitr. judic. casu, 288, n. 6. Farinac., loc. cit., n. 65. Vallensis, h. t., § 2, n. 2, et alii putant, pœnam stupratori clerico esse arbitrio judicis imponendam, ita ut quandoque pœna pecuniaria, vel carceris, quandoque pœna suspensionis, depositionis, vel privationis beneficii puniri possit, prout circumstantiæ personarum, et delicti suaserint; ita tamen, ut semper etiam

præstetur dos puellæ vitiatæ. Concordant ea, quæ diximus lib. III, tit. II, de Cohabitat. cleric. et mulier., a n. 48, quæ omnino vide.

53. *Præsertim violentum.* — Quod si clericus per vim stuprat virginem, præter præfatas pœnas etiam ad carceres perpetuos, qui succedunt pœnæ mortis, contra laicos violentos stupratores jure civili statutæ, condemnari potest. (ADNOTATIO XXVI.)

§ III.

DE ALIIS VITIIS CARNIS, FORNICATIONE VIDELICET, CONCUBINATU, INCESTU, SACRILEGIO CARNALI, ET SODOMIA.

54. *Fornicatio improprie et proprie talis, quid?* — Quæritur I. Quid, quotuplex, et quantæ malitiæ sit fornicatio? Ante responsionem nota, hic non esse sermonem de fornicatione late, et improprie tali, in quo sensu quisvis illicitus concubitus carnalis dicitur etiam fornicatio, sed de fornicatione proprie dicta: in quo sensu ad quæstionem. Resp. I. Fornicatio est copula carnalis soluti cum soluta jam prius deflorata seu corrupta. Ita in re communis, et certa, arg. can. *Lex illa*, 2, cau. 36, q. 1, ibi: «Fornicatio autem licet videatur esse cujuslibet illiciti coitus, etc., tamen specialiter in usu viduarum, vel meretricum vel concubinarum.» Hinc per verba jam prius deflorata differt a stupro proprie dicto.

55. *Est coitus cum soluta ab omni vinculo.* — Intelligentur autem per solutum, et solutam illi, qui non tantum a vinculo matrimonii, sed etiam consanguinitatis, affinitatis, ordinis, religionis, voti, et alterius impedimenti matrimonialis sunt liberi, ita ut absque dispensatione matrimonium inire possent. Farinacius, *Praxi criminal.* q. 137, n. 7; Menochius, de Arbitr. judic. casu 289, n. 1 et 2; Sylvester, §. *Luxuria*, q. 1.

56. *Est gravissimum peccatum etiam contra naturam.* — Cæterum quod fornicatio gravissimum sit peccatum mortale definitum habetur in concilio Viennensi Clement. ad nostrum 3, de Hæretic. ubi tanquam erronea damnatur sequens propositio: «Actus carnalis, cum ad hoc natura inclinet, peccatum non est, maxime cum tentatur exercens.» Et quidem dictam fornicationem non tantum contra jus divinum, et humanum positivum, sed etiam contra jus naturale esse, torrens defendit theologorum,

contra nonnullos volentes, eam tantum esse contra jus divinum positivum, non item naturale, quorum tamen doctrina damnata est ab Innocentio XI in sequenti propositione: «Tam clarum videtur fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, et solum esse malam, quia interdicta, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur.» Vide de hoc amplius apud theologos.

57. *Pœna fornicationis laici.* — Quæritur II. Quæ sint pœnæ fornicationis? Resp. I. Quamvis olim de jure civili a pœna immunis fuerit simplex fornicatio, l. *Si uxor*, 13, § 2, ad Leg. Jul. de Adulter. et l. *Quæ adulterium*, 29, c. eod. tamen de jure canonico laici fornicatores puniuntur arbitrio judicis. Quod idem etiam hodie fit in foro civili pro diversitate personarum, delictorum praxi, consuetudine, et particularibus statutis locorum.

58. *Pœnæ clericorum fornicantium, inter quas etiam est privatio beneficii.* — Resp. II. Pœna clerici fornicantis variæ sunt, inter quas pro arbitrio suo aliquem assumere, et etiam ad privationem beneficii propter unam simplicem fornicationem procedere potest judex ecclesiasticus, præsertim si delictum notorium et scandalosum est, prout amplius diximus et probavimus lib. III, tit. II, a n. 48, ubi vide.

59. *Solvitur obiectio ex concilio Tridentino diversitas pœnarum a jure statuta dat optionem episcopo.* — Nec obstat concilium Tridentinum, sess. 25, de Reform. cap. XIV ubi bina, vel trina monitio requiri videtur, antequam ad privationem beneficii deveniantur. Respondetur enim, præfatam repetitam monitionem præviam ibidem requiri, antequam quis privetur beneficio, ex eo, quod suspectam mulierem monitus dimittere nolit. Non item si de lapsu carnali seu fornicatione actualiter præsertim vero notorie jam reus invenitur. Tunc enim monitio prævia necessaria non est, quamvis pro arbitrio judicis præmitti possit ante privationem beneficii; quia ubi non amplius sola suspicio est, sed jam constat de fornicatione, concilium Tridentinum ad sacros canones se remittere videtur; qui cum inter diversas pœnas fornicationis etiam privationem beneficii ponat, hanc quoque arbitrio suo eligere potest judex; quia diversitas pœnarum a jure statutarum dat optionem episcopo c. *De causis*, 4, de Offic. delegat. juncta Glossa, §. *Certa*; Abbas, in c. *At si clerici*, de Judic.

n. 35 et 36; Farinac. *de Delictis carnis*, q. 137, n. 17, et alii.

60. *Concubinatus improprie*. — Quæritur III. Quid, et quotuplex, quibusque pœnis subjectus sit concubinatus? Concubinatus improprie, et proprie accipitur. Improprie loquendo est conjunctio maris et feminae, inter quos quidem est verum matrimonium de præsentis, tamen sine instrumentis dotilibus, et aliis solemnitatibus olim ad honestam sustentationem matrimonii requisitis, can. *Aliter*, cau. 30, q. 5, quo sensu Agar, etsi vera uxor fuerit Abraham, tamen quia minori solemnitate quam principalis uxor ducta fuit, concubina vocabatur; prout etiam ex ea ratione concubinae vocabantur mulieres, quas præter principalem uxorem habebant veteres patriarchæ ex dispensatione divina, c. *Gaudemus*, 8, de *Divort.* ut bene advertit S. Augustinus, lib. *de Bono conjugii*, cap. ix, xiii et xv, Ambrosius, et alii. In eodem sensu de concubinis intelligendi sunt textus, can. *Is qui*, et seqq. cau. 30, q. 5, ubi christianis uxor aut concubina permissa dicitur. Verum de concubinato in hoc sensu hic non est sermo, sed de illo proprie tali. Hinc ad quæstionem

61. *Proprie talis, quid?* — Resp. I. Concubinatus est, cum quis mulierem solutam domi suæ loco uxoris detinet, et cum ea carnale commercium habet. Ita in re communis definit ex l. 1, § 1, et seqq. ff. *de Concubinis*. Solum notandum, quod de jure canonico concubinarius sit, non tantum qui domi suæ, sed etiam qui extra illam in alio loco retinet hujusmodi solutam mulierem ad commercium carnale, uti cum communi aliorum bene observat Farinacius, in *Praxi criminali*, q. 138, n. 3 et 12; Azorius, p. 3, lib. III, cap. v, § 4, et desumitur ex concilio Trident. sess. 25, de *Ref.* Differt concubinatus a simplici fornicatione, quod hæc per unicum, ille vero per repetitum actum carnalem cum eadem soluta ad hoc retenta fiat. Diaz, in *Practic. canon.* §. *Concubinarii*, n. 1; Farinacius, loc. cit. n. 9

62. *Pœna concubinatus de jure civili*. — Resp. II. Quamvis olim de jure civili concubinatus a pœna immunis fuerit, l. *In concubinato*, 3, § 1, ff. *de Concubinis*, et l. un. c. eod. tamen hodie etiam in foro sæculari, et quidem gravius quam simplex fornicatio, arbitrio tamen judicis punitur; Engel, h. t. n. 22. Et merito, quia perseverantia in crimine utique est circumstantia et pœnam, et

culpam aggravans: « Cum tanto graviora sint peccata, quanto diutius infelicem animam detinent allegatam, » c. fin. *de Consuetud.*

63. *Et de jure canonico*. — Resp. III. De jure canonico concubinatus tanquam juri naturali, et divino adversus semper reprobatus, et pœnis subjectus fuit tam respectu laicorum, quam clericorum, can. *Audite*, 6, dist. 34, can. *Nemo*, 4, et can. *Dicat*, 9, cau. 32, q. 4. Et specialiter novissime in concilio Trident. sess. 24, de *Reform. matrim.* cap. viii, ubi contra concubinarios laicos ita statuitur: « Grave peccatum est, homines solutos concubinas habere; gravissimum vero, et in hujus magni sacramenti singularem contemptum admissum, uxoratos quoque in hoc damnationis statu vivere, ac audere eas quandoque domi etiam cum uxoribus alere, et retinere. Quare, ut huic tanto malo sancta synodus opportunis remediis provideat, statuit, hujusmodi concubinarios tam solutos, quam uxoratos, cuiuscunque status, dignitatis, et conditionis existant, si postquam ab ordinario, etiam ex officio ter admoniti ea de re fuerint, concubinas non ejecerint, seque ab earum consuetudine non sejunxerint, excommunicatione feriendos esse, a qua non absolvantur, donec re ipsa admonitioni factæ paruerint. Quod si in concubinato per annum censuris neglectis, permanserint; contra eos per ordinarios severe pro qualitate criminis procedatur, mulieres, sive conjugatæ, sive solutæ, quæ cum adulteris, seu concubinariis publice vivunt, si ter admonitæ non paruerint, ab ordinariis locorum nullo etiam requirente, ex officio graviter pro modo culpæ puniantur; et extra oppidum, vel diœcesin, si id eisdem ordinariis videbitur, invocato, si opus fuerit, brachio sæculari, ejiciantur; aliis pœnis, contra adulteros, et concubinarios inflictis, in suo robore permanentibus. »

64. *Præsertim contra clericos concubinarios, aut suspectas mulieres habentes in domo, vel extra*. — Resp. IV. Specialissime autem, specialibusque sub pœnis prohibitus est clericis concubinatus, et omnis alia suspecta conversatio cum altero sexu; de quibus pœnis, uti et de modo procedendi contra clericos concubinarios, et suspectas mulieres habentes, ex professo late diximus lib. III, tit. II, § 2 per totum, ubi vide.

65. *Incestus, quid?* — Quæritur IV. Quid,

quibusque pœnis subjectus sit incestus? Resp. I. Incestus est copula carnalis inter personas consanguineas, vel affines in eo gradu, in quo juris divini, vel humani non valent inter se matrimonium contrahere, can. *Lex illa*, 2, § *Cum ergo*. cau. 36, q. 1, ibi: « Incestuosi dicuntur, qui consanguineis et affinibus abutuntur. »

66. *Infertur: quinam incestum committant?* — Infertur primo: Inter ascendentes, et descendentes omnes in linea recta semper committi incestum. Inter laterales autem consanguineos usque ad quartum gradum. Inter affines ex copula licita, seu matrimoniali pariter usque ad quartum gradum. Inter affines vero ex copula illicita usque ad secundum duntaxat gradum; quia inter hos solummodo, non autem inter remotiores consanguineos et affines versatur impedimentum matrimonii; prout patet ex lib. IV, *Decretalium*.

67. *Et qui non?* — Infertur secundo: Non committere incestum primo, qui peccat cum consanguinea, vel affine ex matrimonio in quinto gradu. Secundo, qui fornicatur cum duabus consanguineis tertio gradu conjunctis. Tertio, qui peccat cum consanguinea sponsæ de præsentis nondum carnaliter cognitæ; quia nondum contraxit affinitatem cum tali consanguinea. Quarto, qui peccat cum cognato legali, vel spirituali; quia inter solos consanguineos vel affines, non item conjunctos per adoptionem, confirmationem, vel baptismum incestus proprie dicitur oritur. Clarus, *Incestus*, n. 4; Farin. *Praxi criminali*, q. 149, n. 50, arg. cit. can. *Lex illa*, 2, cau. 36, q. 1.

68. *Incestus est gravius peccatum adulterio*. — Resp. II. Incestus (qui vel sine matrimonio, vel cum matrimonio, incestuosas videlicet contrahendo nuptias fieri potest) non est minus, sed gravius crimen adulterio, can. *Adulterii*, 11, cau. 32, q. 7, ibi: « Adulterii malum vincit fornicationem, vincitur autem ab incestu. Pejus enim est cum matre, quam cum aliena uxore concumbere, » juncta l. *Adulterium*, 38, § 3, ff. *ad Leg. Jul. de Adulter.* Præsertim si inter ascendentes et descendentes in linea recta committitur, quod ipsa etiam bruta animalia adversantur, teste Plinio, *Histor. natur.* lib. VIII, cap. xlii.

69. *Pœna incestus de jure civili, quæ?* — Resp. III. Quamvis de jure civili pro incestu simplici, et sine matrimonio, commisso nulla certa pœna reperitur determinata, sed vel eadem, qua adulterium, jubeatur

castigari, l. *Miles*, 41, § 1, et l. *Si adulterium*, 38, ff. *Adulterium*, 38, ff. *ad Leg. Jul. de Adulter.* vel committatur arbitrio judicis pro varietate circumstantiarum, si incestus committatur inter eos consanguineos vel affines, qui solo jure humano habent impedimentum matrimonii, ut post Zoesium, ff. *ad cit. Leg. Jul. de Adulter.* advertit Pirhing, h. t. n. 65.

70. *In aliquibus casibus subjacet pœnæ capitis: et quibus?* — Nihilominus in foro sæculari incestuosi sine matrimonio pœnam mortis incurrunt in sequentibus casibus. Primo, si committitur incestus inter ascendentes et descendentes, quorum coitus etiam nefarius dici solet, arg. l. *Si adulterii*, 38, § 2, ff. *ad Leg. Jul. de Adulter.* et ibi Glossa, §. *Gentium*; Farin. cit. q. 149, n. 14 et 16; Menochius, *de Arbitr. jud.* casu 501, a n. 1; Bajard. *ad Clarum*, § *Incestus*, n. 3; Hostiensis, in *Summa*, h. t. n. 12; Pirhing, h. t. n. 65. Secundo, si committitur inter collaterales in primo gradu, fratrem v. g. et sororem. Menochius, loc. cit. a. 14; Haunoldus, *de I. et I.* tom. VI, tr. II, n. 347, et habet praxis plurium provinciarum; quamvis nonnullæ provinciæ tales virgis cæsos, perpetua relegatione puniant teste Carpovio, *Pract. criminali*, q. 73, a n. 11; Berlich. *Pract.* p. 4, concl. 33, n. 5 et 12. Tertio, quando cum incestu conjunctum est adulterium. Clarus, § *Incestus*, n. 2; Haunoldus, loc. cit. n. 345.

71. *Incestuosas contrahentis nuptias pœna de jure civili*. — Resp. IV. Incestuosi cum matrimonio, seu scienter incestuosum contrahentes matrimonium, pœnas incurrunt statutas, Authen. *Incestas*, c. *ad Leg. Jul. de Incest. nupt.* ibi: « Incestas nuptias contrahentis pœna est confiscatio bonorum tam cæterorum, quam dotis: exilium etiam, et cinguli (si quo utitur) spoliatio, verberatio quoque, si vilis est; femina quoque talia scienter peccante, simili pœna subjuganda, » etc.

72. *Pœna jure canonico statuta contra incestum sine matrimonio*. — Resp. V. De jure canonico laici incestum simplicem sine matrimonio committentes jubentur excommunicari, can. *de his, quæ incesti*, cau. 35, q. 2. Conjux insuper incestum committens cum consanguinea conjugis privatur jure petendi debitum conjugale, c. 1, et c. *Transmissa*, de eo, qui cognovit. *consang. uxor.*, et post mortem conjugis prohibetur ulterius nubere, cit. c. 1, eod. quæ tamen ultima pœna consuetudine abrogata videtur.